

**Dissertatio medica inauguralis, de phthysi pulmonali ... / Eruditorum  
examini submittit Petrus Reys.**

**Contributors**

Reys, Petrus.  
Schultens, Albert, 1686-1750.

**Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Gysbertum Langerak, 1739.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/nbv49jty>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

10

D I S S E R T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S ,  
D E  
P H T H Y S I P U L M O N A L I .

Q U A M ,  
A N N U E N T E D E O T E R O P T . M A X .

*E x Auctoritate Magnifici Rectoris ,*

D . A L B E R T I S C H U L T E N S ,

S . S . T H E O L . D O C T . E T L I N G U A R U M O R I E N T A L I U M P R O F E S S O R I S  
O R D . I N I L L U S T . A C A D . L U G D . B A T . C O L L E G I I T H E O L O G .  
I L L U S T R . A C P R A E P O T . O R D I N U M H O L L . E T W E S T -  
F R I S . R E G E N T I S . M S S . O R I E N T A L I U M L E G .  
W A R N E R . I N T E R P R E T I S .

N E C N O N

*A m p l i s s i m i S e n a t u s A c a d e m i c i C o n s e n s u s ,*  
*& N o b i l i s s i m a e F a c u l t a t i s M e d i c a e D e c r e t o ,*  
P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

S u m m i s q u e i n M E D I C I N A H o n o r i b u s & P r i v i l e g i i s  
r i t è a c l e g i t i m è c o n s e q u e n d i s ,

*E r u d i t o r u m E x a m i n i s u b m i t t i t*

P E T R U S R E Y S Schiedamo - Batavus .

*A d d i e m 19 . J u n i 1739 . H o r à l o c o q u e s o l i t i s .*

---

---

L U G D U N I B A T A V O R U M ,  
A p u d G Y S B E R T U M L A N G E R A K , 1739 .

ADICIONES ORTAS 28010

221 10 13 3 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1

1 1 1 1 1 1 1 1



## PRO O E M I U M.



uandoquidem Lex Academica unicuique ad Gradum Doctoratus Adspiranti, antequam Studiis suis finem Imponat, eorum Specimen aliquod Edere jubet; quo in medicorum Numerum referri possit: hinc de Eligendo Specimine, ut Institutis Academicis satisfacerem, diu Cogitavi, & incertus haesi, qualem materiam pro inaugurali disputatione Conscriberem: tandem post Serias Cogitationes, ex tot morborum generibus arrisit mibi Pbthysis; morbus certe satis frequens his in terris, & qui summis etiam medicis plurimum Negotii facescit: interim exiguitatem mei ingenii recordans, apprime novi, humeros meos tanti oneri ferendae esse impares: hinc B. L. Velim nihil novi a me exspectes; sed persuasum babeas, me Juvenem nulla exper-

## P R O O E M I U M.

rientia edocētum, nil etiam scripsisse nisi ea, quæ colligere & haurire potui ex ore meorum Præceptorum, & ex fide dignissimis auctoribus: hinc si quos errores Comiserim, tyroni mihi Condones, conatusque meos qualescunque æqui bonique facias obnixe rogo; quâ spe fretus, morbi descriptionem aggredior. Vale.

D I S-



DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
PHTHYSI PULMONALI.

CAPUT PRIMUM.

*De nomine, definitione ac sede morbi.*

§. I.

**P**inter graves, quibus afficitur corpus humanum, morbos, haud Infimum meretur locum, ille miser status Corporis, in quo æger ab ulcere tanquam a Lupo Carnes consumente, ad extremam macilentiam sensim redactus, vitam cum morte commutat: nisi auscultans medici auxilio in principio præveniatur. hanc affectionem Græci & Latini Phthysin vocavere; quod vocabulum originem trahit a voce Græca Φθεῖ, h. e. Corrumbo, putrefacio: Athenienses vocabulo Φθωη usi sunt: designantes idem cum prioribus; supponentes itaque morbum a quadam Corruptione vel putredine productum: alii & quidem plerique Latiori sensu hanc affectionem tabem appellarunt, quo Nomine veteres varios intelligebant morbos, inter quos Latinissimus *Celsus* Imprimis, qui Libro 3. Cap. 22. tres tabis species Enumerat,

A

merat,

## DISSERTATIO MEDICA

merat, 1º. atrophiam, qua corpus non alitur, 2º. cachexiam, seu malum corporis habitum, 3º. Phthysin ab ulcerato pulmone productam; de qua etiam pro viribus meis agere constitui: Belgis vulgo dicitur, *de Ceeringh.*

§. 2. Animus mihi non est, omnes tabis species ejusque differentias Enumerare, quæ ab *Hippocrate* aliisque auctoribus conscripæ sunt; quoniam brevitati studens, vereor, ne hæc dissertatio excederet Limites; hinc tantum breviter quantum possum expondere conabor illam speciem, quæ *Phthyseos Nomine* specialiter medicis obvenire solet, hisce itaque præmissis, definitionem aggredior.

§. 3. Phthysis itaque vulgo definitur, quod sit consumptio vel extenuatio totius corporis a materia purulenta ex pulmonum ulcere oriunda: vel Phthysis dicitur corruptio hectica febriculosa corporis propter exulcerationem pulmonis; qua corpus sensim contabescit: ex qua data definitione videmus, terribilis hujus morbi sedem esse in pulmone, quod viscus est nobile, sinistram & dextram Cameram thoracis occupans, quodque mediastino interposito in binas dividitur partes, in dextram & sinistram, quod vel in una aut in ambabus partibus in hoc morbo exulceratum sæpe reperitur. etenim nihil obstat, quare ulcus in una & non in alia parte fieret, quoniam ambo sunt viscus molle, tenerum, spongiosum; Parenchyma veteribus dictum, multisque vasis tam aëriferis quam sanguiferis referatum, quodque artè *Ruyshianâ* ope materiæ ceraceæ injectum ex meris videtur constare vasis, quæ in fine vesiculis Bronchialibus contigua, eas ambiunt, & tanta tenuitate ab aëre vesiculis contento distent, ut mirum sit videre, quî homo ibi loci suæ vitæ periclitetur, quatenus facili de causa vasis *Allospous* vel *Allopous* referatis, in sputum cruentum sæpe læthale, vel inde consequentia mala sensim læthalia facta præcipitari valet.

§. 4. Ulterius consideranti quoque apparet, ad quod genus hicce morbus sit referendus; nempe ad morbos solutæ continuitatis: quoniam agnoscit ulcus, quod non fieri potest sine continui solutione, cui solutioni etiam accedit materiæ prius sanæ degeneratio in morbosum; nam liquidis extra vasa positis

tis necesse est ut corrumpentur: quæ quantum febrem illam hecticam ejusque symptomata Phthysī socia producere possunt, in sequentibus suo ordine patebit. his itaque visis ad spectandas causas me accingo.

## CAPUT SECUNDUM.

*De Causis.*

§. 5. Inquirens in causas hujus morbi multiplices & intricabiles, præcipuas tantum hic proferre judicavi: & uti a minimis ad majora facilis est intellectus, sic etiam a minimis morbi rudimentis ad majora incipiam, unde 1°. de causis proœgumenis, 2°. de procatarticis. & 3°. de causa proxima agam.

Causis itaque proœgumenis annumeratur hereditaria corporis dispositio: h. e. congenita & a parentibus hæreditario quasi jure contracta vitiosa, mollis & tenera pulmonis constitutio: est enim Phthysis morbus hereditarius, ita ut aliquando integras familias oppugnet & interficiat, quod præter observationes quam plurimas tristis experientia etiam in hunc usque diem verum esse docet. Sic *Celeberrim. Boerhavium* (Profess. ac præceptorem meum non sine Laude ac summa, veneratione nominandum) dicentem audivi, sibi inotnisse familiam, ubi Pater, Mater, omnesque proles Phthysī defuncti erant, exceptō uno filiō, quem habitā curā prophylacticā ab Minace Phthysī Liberavit, qui postea satis bene valens per multos adhuc annos vixit.

Talem autem Communicationem esse inter parentes & proles, confirmant non solum multi hæreditarii morbi, ut sunt calculus, Luës venerea, epilepsia & similes alii, sed etiam Poëta Mantuanus hoc alludere videtur hisce versiculis.

*Qui viret in soliis, venit ab radicibus humor.*

*Sic patrum in Natos, veniunt cum semine morbi.*

Innata autem pulmonis debilitas id mali efficere posse videatur ad producendam Phthysin, quatenus viscus hocce expositi-

tum receptioni & transmissioni humorum inquilineorum & peregrinorum, facili de causa posset obstrui, erodi, & sic exulcerari, etenim pulmo a corde dextro accipit sanguinem venosum secretionem passum, ut & chylum Crudum; qui pro varia indole assumptorum ut & viscerum præparandorum debilitate, vel viscosus vel glutinosus facile tenera hæc vasa Infarcire potest, & ibi hærens & acris factus vasa erodere & hac ratione ægrum in hæmoptoē vel exulcerationem præcipitare.

§. 6. Accedit & mala ac perversa a natura thoracis conformatio, & hi sunt, quibus scapulæ alarum avium instar promineant, quos *Hippocrates* lib. 3. & 6. Epid. Περύγωνες si-  
ve aliformes vocavit: ut & *Galenus* Com. 1. in Lib. 1. Epidem. & sparsim aliis in locis. his hominibus pectus est angustum planum, & collum longum, & in genere corpus est tenuerum, cutis pellucida, vasa tenera & plerumque valde conspicua, hosque summopere ad Phthysim esse dispositos dicit *Hippoc.* Lib. 3. Epid. ut & *Aræteus Cappadox* Cap. 8. de morbis Chronicis: etenim perversa ac mala thoracis Conformatio Impedit, quo minus pulmones ritè possint dilatari, capacitas minuta huic obstat; hinc respirationis actio non solum difficile modo exercetur, sed & trajectio sanguinis, qui necessario per pulmones fluere debet, retardatur, quia vesiculæ Bronchiales non possunt satis expandi ab aere; unde aliquando stases in quadam parte pulmonis, hinc obstructiones & similia producuntur, atque ex eo velocior humorum in Libera vasa impulsus, unde aliquando vasa aperiantur & sic eroden vel Exulcerentur.

§. 7. Huc referri etiam potest adolescentia vel ætas Juvenilis Sc. tales, qui sunt ætatis circiter intra 18 & 35. vide *Hippocratem* sect. 3. aph. 29. & sect. 5. aph. 9. quamvis aliis temporibus etiam hic morbus exoriri potest; tamen utplurimum hoc tempore se prodit: hoc est in florentissima ætate, quâ sanguis maximè abundat, & plerumque acrimoniâ peccat: ob intemperatum non solum viētum, sed quia in genere circa sex res non naturales magnos errores perpetrant: copiâ autem sanguinem hic maxime peccare videtur, quoniam vasa hoc tempore valde Elastica ulteriore sui extensionem vix admit-

mittunt, dum sanguis interim copiâ, acrimoniâ atque impetu urgens in hæc vasa, superare valet resistantiam vasorum & aëris, unde disruptus sputum oritur cruentum, cui accedit, quod in iis talem dispositionem ad Phthysin habentibus sanguis est magis tenuis acris & calidus, qui velocius per pulmones motus, facile tenera & valde Imbecilla vasa hujus visceris aperire, erodere, & sic post hæmoptoœn exulcerare potest.

§. 8. Nec Noxia minoris momenti huic morbo adferre videntur catharri, in genere dicti, vel falsorum & tenuium humorum defluxiones ad pulmones: quæ a Celsio aliisque auctoribus destillatio a capite nominatur, quæ exinde in pulmones cadit: verum an a capite directe per asperam arteriam ad pulmones fluat talis salsa, acris & tenuis materia, valde dubito, quoniam via nulla datur ex capite per palatum in os vel fauces, nec ex capite in nares pro transmissione hujus Liquidii, quia foraminula ossis ethmoidis Implantur Nervulis, membranis & vasis, verum applausibilior videtur sententia, dicere, hoc tempore, Cum homo catharrali fluxione Laborat, quod abundans tenui Liquidum ex sanguine defertur ad glandulas, quæ sui loci superflua Liquida deponunt, sic a Cerebro per glandulam pituitariam ad venas jugulares, ex interiori substantia asperæ arteriæ & Bronchiorum ad pulmones & sic de Coeteris, ubi in pulmone hærens sua acrimoniâ vel falsedine irritando primo tussim producit, tandemque & simul erodendo vasa aperit, sicque in sanguinis sputum, & dein exulcerationem ægrum præcipitat. Vide Boneth. tit. de Physi. pag. 657.

§. 9. Ex quibus itaque videmus. Ab una parte pulmones, & ab altera sanguinem in Causa esse: dico pulmones, qui vel in prædispositis aut in aliis talem prædispositionem non habentibus facile lædi possunt, quoniam molioris sunt texturæ quam alia viscera, & sanguinem ex cordis fonte dextri Immediate accipiunt, qui hætero-geneus vel novo Chylo Imbutus aliquando obstruendo vel Erodendo dicta mala causare potest, vel sanguis in Causa esse potest, quatenus. Copia, acrimonia, atque impetu peccat: Sed imprimis Copiâ, & hinc est quod Hippoc. dixit hisce annis

§. 7. enumeratis frequentius tabes fieri, quoniam hoc tempore in utroque sexu sœpius plethora peccat: quod Natura tanquam Index in sequiori sexu præcipue demonstrat, quatenus singulis mensibus corpus ab onere superfluo Liberat per uterina vasa (excepto tempore graviditatis) in Nobiliō variis temporibus per hæmorrhagiam Narium vel hæmorrhoidalem fluxum, quibus vero interceptis, aliquando serius ocius hæmoptoen vel inflammations & mala subsequentia producit. accedit & acrimona biliosa vel scorbutica, quæ præsertim in prædispositis peccat, & augetur, quia viscera imbecilla, Ingesta sua non bene Elaborare possunt, hincque varias acrimoniæ species producunt pro varietate temperie & indole assumptorum; quæ pro sua diversitate serius ocius pulmones obstruere inflammare & Exulcerare possunt vide *Celeb. Barberiavium* in Libello præxos de morbis viscerum debilium & Laxorum.

§. 10. Nec minus in hunc morbum prædisponere videntur morbi prægressi vel Neglecti aut male curati, ut sunt Pleuritis, Peripneumonia, angina, & multi alii, qui ratione malæ metastaseos hic valde nocere videntur, itaque primo videbimus, quid pleuritis hucce contribuit.

Pleuritis ut unicuique in arte medica versatis notum sit, est morbus acutus inflammatorius, sedem habens in membrana Pleura (de vera loquor) quæ membrana contigua valde pulmoni thoracis interiora investit, a qua pulmo exterius suum involucrum etiam habet; in qua membrana Costas succingente inflammatio ut plurimum in uno rarius vero in utroque Latere hæret, quæ nisi benigna resolutione vel arte resolvatur, terminari solet in exitus Inflammatoriis morbis communes, imprimis in suppurationem, quo quadrat dictum divi Hippoc. sect. §. aph. 8. ubi dicit: qui pleuritici facti non repurgenur superne in 14 diebus, his in suppurationem convertitur. Collecto tunc purè in loco antea inflammato, quod pus Cystide quasi inclusum, sua acrimoniæ sensim natâ corrodendo, exendendo, vel copiâ distendendo hanc membranam disrumpit, unde materia morbosa in cavum thoracis cadendo Empyematis nomine obvenire solet, quod nisi intra 40 dies repurgetur æger

æger in tabem transit. Dictante rursus *Hipp.* se<sup>ct</sup>. 5. aph. 15. etenim nisi materia hæc Critica Evacuatione vel arte instituta e corpore sensim eliminetur, tunc accumulata ibi hærens in calido loco pone cor a quo tanquam perpetuo mobili etiam moveatur, non potest non insignem corruptionem & acrimoniam acquirere, quæ pro varia indole ac varia subiecti & temporis constitutione, serius ocius ægrum in Phthysin prolabi valet; quoniam pulmo immersus quasi hâc materiâ acri & aliquando faniosa vel ichorofa facile erodi, exulcerari & quasi colliquari potest, imo & cor, (viscus magis densum) a tabo purulento acri vel ichorofo ita infectum vidi in cadavere dissecto a *Clarissimo & Celeb.* viro & summo honore persequendo meo præceptore *B. S. Albino*, ut fere omnis fibrosa substantia usque ad ventriculum dextrum esset consumpta.

§. 11. Nec minus in hunc morbum symbolam suam conferre videtur peripneumonia: morbus certe acutus & veloci-  
ter decurrens, qui si ad statum pervenerit, remedium nisi re-  
purgetur non admittit, sed vel in suppurationem, vomicam suf-  
focantem, vel lente & Latenter Consumentem, aut in Em-  
pyema terminari solet: quibus nisi repurgentur; via panditur  
certissima ad Phthysin. Sic quoque peripneumonia metaftasi  
inominata ex alio morbo & imprimis ex angina producta, quæ  
ab *Hipp.* Se<sup>ct</sup>. V. ap. X. periculosa valde habetur: dicit e-  
nim: quibus ex angina ad pulmones, mali fit Conversio, illi  
intra 7 dies moriuntur: si vero hos Effugerint purulenti eva-  
dunt. Ubi de illa specie quæ *Kuωάλχη* dicitur præsertim loqui  
videtur, in qua inflammatio partes internas Laryngis occupat:  
nam vel purulenta materia ex abscessu rupto in pulmo-  
nes descendens, eos aliquando ita obruere potest, ut æger  
ipso momento suffocetur, vitales scilicet vias inspirationis ob-  
struendo, sanguinisque trajectum per pulmones sufflaminando,  
unde Cor dextrum Sanguine obruitur, & sic æger quasi stran-  
gulatus perit. Vel si materia purulenta parca copiâ in pul-  
mone cadat, & æger inde non repurgetur, tunc sensim fo-  
veas Exulceratas apertas vel tectas efficere valet. Vel ma-

te-

teria adhuc cruda, metastasi symptomatica aliquando ad pulmones deducitur, quæ materia sua malignitate ita obstruere & inflammare valet pulmones, ut ante 7 diem a translatione materiæ numerandum, aliquando intereant, vel his devictis suppurati fiant, subacta scilicet materia cruda & mutata in unum homogeneum liquidum pus dictum: quod vel membranā tanquam Cystide Inclusum, pulmonis interiora Consumit; suæque materiæ Corruptæ partem Liquidis transeuntibus communicat, unde Phthisis cum suis symptomatibus absque purulenta excretione ex vomica tecta exoriri potest: Vel hæc materia tam acris aliquando est, ut membrana illa erodendo, exedendo, vel copiâ distendendo rumpetur; & tunc vel in cavitatem thoracis decidat materia purulenta, vel in Laryngis tubos cum suffocatione, vel sensim cum tussi per anacatharsin rejicitur; dum interim Corpus in miserum statum Consumptionis expositum sit.

§. 12. Huc referri etiam potest Hæmoptysis, a quacunque Causa exorta & male per stiptica adstringentia curata: etenim, accidit aliquando, ut ob metum delinquentis ægri, quidam fortissima illa adstringentia saturnina dicta exhibeant, quæ quidem miram vim habent contrahendi & adstringendi, sed vix in corpore huic scopo inservire possunt, quam cum summo nostræ vitæ discrimine: quoniam vasa nimium adstringendo, sanguinemque quasi coagulando vel nimium incrassando terribiles morbos & imprimis pectoris producit: quatenus circuitum sanguinis per pulmones retardat, dyspnœam aliaque mala excitat, dum interim materiæ hæc incrassata & quasi coagulata vulnus Cicatrice quidem obducit; sed sensim materia hæc ibi hærens sub Cicatrice acris fit, & in materiam purulentam abit; quæ ibi collecta sibi cystidem format, vel in ulcus apertum degenerat.

§. 13. Nec prætereunda videntur variolæ, scabies, & alia exanthemata corporis prægressa & male administrata: quæ vel metastasi symptomatica, vel externis medicamentis repercutta, aut internis in sua Efflorescentiâ debitâ sufflaminata ad pulmones ruere valent, ibique infarciendo, stagnando & putre-  
fa-

## INAUGURALIS.

faciendo pro varia indole materiæ in tuberculos Schirrofos, vel in vomicas exulcerantes transfire valet: tales autem exulcerationes a variolis factas esse, statuit Derebecque Observ. 104. ubi dicit: *quotquot variolis siccatis non purgati fuerunt infantes, inciderunt in graves morbos; Hydropem, Phthysin &c.* Imo observationes variæ hoc testantur: vide, M. n. curiosa decur. 3. anni 4. Obs. 1. ubi refertur, quosdam ex variolis in tussim ferinam, & hecticam Phthysin incidisse, sic *Tulpius* in suis, Observ. lib. 4. obs. 52. memorat in quibusdam a variolis erosæ fuisse pulmones & hinc succubuisse. Imo & Fred. Hofmannus tomo 3. Med. rat. Sect. 1. aph. 10. Casum allegat Serenissimi Principis Saxoniæ post variolas defuncti, in cuius cadavere aperto invenit integrum Lobum pulmonis Consumptum, ac materiam corruptam purulentam & fætidam in Cavo thoracis Effusam: Sic exortam Phthysin a Scabie per Linimenta retropulsa in Monacho videre est apud Bonetburnus titulo de Phthysi.

§. 14. Imo & concretio pulmonis cum Pleura, (ut sæpe a pleuride prægressa fit) huic morbo ansam dare videtur; quatenus actioni exspirationis plus minus obstat, etenim Pleuræ adhærens pulmo, non ita collabi potest ac in iis quibus penduli hærent, hinc etiā vesiculæ aëriferæ magis expansæ manent ab aëre semper intus contento, quam in statu naturali, quo fit, ut via Pandatur majoris consluxus humorum, unde leve de causa stases fieri possent, exinde obstructiones, inflammations vel exulcerationes.

Visis itaque causis proegumenis: ad procatarticas transeamus; quas multi titulo 6. rerum non naturalium in 6 classes dividunt, nos vero commoditatis causâ in 4 Classes digemus, & sic videbimus quid 1°. ingesta, 2°. gesta, 3°. Retenta & excreta, 4°. applicata ad dirum hunc morbum producendum cum prædictis jam causis valent.

§. 15. Inter ingesta 1°. huc refertur aér, qui (testante Hippocrate Libro de flatibus pag. 296.) summæ utilitatis est vitæ & producendis morbis pronus; dicit enim, *mortalibus hic summa vita, tum morborum ægrotis causa est, & tanta ineſt*

omnibus corporibus & necessitas, ut siquidem aliis omnibus & cibis & potionibus quis abstineat, duos tamen 3 vel plures dies possit vitam ducere, at si quis & in Corporis vias intercipiat, vel exigua diei parte homini sit pereundum. Ex quibus itaque videmus aëris Inspirati Summam Necesitatem non solum, sed exinde etiam pulmones aeris Injuriis præ reliquis visceribus esse expositos: qui etiam vitia in aëre hærentia aliquando facile experiuntur: & imprimis ratione Contagii; Phthysis enim est morbus Contagiosus vide *Laf. River.* Cap. 7. Lib. 7. Sed miasma illud quod Phthysicus exhalat & aëri communicat, magis vim suam malignam exercet in eos qui sunt ejusdem prosapiæ vel ex eodem sanguine nati, imo infantes & qui teneræ sunt Constitutionis facilius afficiuntur, quia pulmo & vasa iis magis tenera & debilia sunt: imo vim hujus contagii testantur observatores, qui affirmant, tale contagium per aliquod temporis spatium latuisse in vestibus, cubiculis, lectis atque stragulis; quod contagium, cum alias tali lecto incubuerat aut vestes induxerat, Phthysi corripuerit, & infecerit. Sic apud *Cœlium Rodiginum* legitur; Titum Imperatorem hac ratione a fratre Domitiano Phthysi desperatâ laborante fuisse infectum.

§. 16. Vel aër peccat quatenus est valde frigidus, gelidus, vel subito ex calido frigefactus: Unde vasa pulmonalia magis contrahuntur & quasi constringuntur, hinc liquida non satis perfecte transire valent, sed quasi coagulata subsistunt, unde obstructions, inflammations & plura symptomata ex natura materiæ & vi vitæ produci possunt, frigida enim sunt inimica pectori monente *Hippoc.* Sect. §. aph. 24.

Idem aër Nebulosus frigidus crassus, humidus & palustris hic Nocet, quatenus laxat, solvit vel debilitat fibrosas pulmonales partes, unde congestiones materiæ serosæ ad pulmones, quoniam idem aër totum nostrum corpus ambiens, poros occludendo & hinc perspirationem prohibendō generat colluviem serosam vel aggestionem inutilium humorum naturaliter e corpore excernendorum, unde debilitat & laxat pulmone facilis hujus materiæ in iis depositio; quæ mora acris fa-

facta , aliquando partes teneras pulmonis erodere & exulcerare valet.

Idem aér ex opposito nimis calidus æstuans & siccus hoc conferre videtur , quatenus humores tenuiores auferendo , & lentiores immeabiles congregando in minoribus vasis obstructiones , inflammations & alia inde sequentia mala produce-re valet . etenim perspirabili aucto partes liquidissimæ a sanguine auferuntur , quæ partibus salinis terrestribus & oleosis commiscendæ requirebantur , unde liquido hoc adempto sanguis crassescit & acris fit , qui rursus obstructioni inflammationi vel & putrefactioni pronus est .

Vel huc contribuit aér gravis & densus , qui Canales pulmonis nimium premendo earum diastolen impedit , unde aliquando obstructiones & varia inde consequentia mala Phthysι producendæ apta exoriri possunt .

Levis aér e contra vasorum Elasticitatem lædendo , ob minimam pressionem producit extravasationes humorum , nam in Vacuo Boyleano animalia si exponantur , distenduntur , vasaque expanduntur , idem per Experimentum ope cucurbitæ institutum videmus : ubi Liquida imo sanguis ipse sæpe exit ob minutam pressionem in vasa , unde ex levi aëre errores loci , obstructiones , inflammations & exinde suppurationes : idem videmus in pulmone debili laborantibus , qui , si altiores montes adscendant , sanguinem aliquando spuunt .

Tandem huc refertur aér fumis mineralibus metallicis aut aliis vaporibus acribus , ut ex sulphure , arsenico , vitriolo , antimonio , calce viva & similibus effluviis inquinatus ; quibus vasa pulmonalia constringi , erodi , vel liquida coagulari possunt , quod Chemici in suis operationibus satis abunde non sine Noxia experiuntur .

§. 17. Sua quoque noxia adferunt cibus & potus , qui quantitate vel qualitate ad morbum hunc producendum peccare possunt : imo quantitate copia enim nimia ingestorum tam alimentorum quam potulentorum extenditur ventriculus , qui mire nervis scatens convellitur & concluditur , unde vasa comprimitur , adeo ut succus gastricus non possit depluere in ca-

vum ventriculi , ergo cibus manet immutatus & rarescit calore, qui ulterius expandendo ventriculum disrumpit , vel sursum materiam contentam per vomitum ejicit , hacque ratione a distensione nimia motus viscerum thoracis plus minus impeditur, & ab aortae subjacentis compressione in partibus superioribus inducitur quasi plethora , quæ in vasis pulmonalibus obstructiones, inflammations , rupturas & similia mala producere potest.; Vel si jam in corpore maneat cibus indigestus, producit cruditates , quia bene digeri & subigi non possunt, hinc cacochymiam in corpore producunt , quæ sua acrimonia rursus tragedias in hunc morbum ludere potest.

Sic & inedia e contra etiam sua mala summopere adfert, quatenus actiones vitales , dum vigent, continuo requirunt novum chylum , quo vero intercepto ac denegato ; agunt in partes continentes & contentas , eas deterendo & consumendo , humorumque crasin ex tenui in crassum & ex blando in acrem biliosam salinam mutando ; quæ quantum obstruere , erodere, & tandem exulcerare possunt partes pulmonis, unicuique credo satis apparet : Hinc melius esset , si sanitati suæ consulerent , ut Exemplum Alexis seuererentur ; qui apud Athenæum Libro 10. Cap. 5. ait: *quam suave est omne mediocre? Ego neque supra modum cibo onustus abeo nunc, neque inanis: sed suaviter me habens.*

*2do* qualitate obesse possunt esculenta , ubi talia assumuntur, quæ difficulter subigi possunt , ut sunt Lardum , pisces saliti, carnes pingues facile rancescentes, sic & sulmo vel alia , quæ cunque fumo aut sale indurata sunt ; vel ea quæ nimis viscosa sunt, ut caseum recens, fabæ, & alia frumentacea semina, nimis diu assumpta; quæ chylum viscosum producendo in causa sæpe sunt obstructionis & corruptionis , vel quatenus in genere cacochymiam producendo , dicta mala augere possunt.

Imo & potulenta qualitate peccare possunt, ut sunt fermentati destillati, rectificati vel cum calidis aromatibus digesti vel de- stillati , ut sunt ~ illi aromatici ; veluti aqua vitae matthiolii &c. sed præsertim ~ vini aut Juniperi ; quorum abusus hisce in terris frequens valde est cum effectu multorum, & imprimit consequentium chronicorum morborum : etenim , observatione

vatione frequenti comperimus, eos, qui paulo liberalius potationi spirituum ardentium indulgent, incidere in Hydropses, atrophias, anorexias, Phthyses, & in morbos soporosos; etenim potus illi inebriantes sanguinis motum accelerant, sive majori copia & velocitate ad caput delatus producit aliquando apoplexiā, si ad pulmones hæmoptoen: vel potus hi peccant quatenus tenuissimum & blandissimum humidum e sanguine consumendo, reliquos humores inspissat, & quasi coagulat, vasaque præterea rigida & contracta efficit, unde obstrunctiones, exulcerationes, tumores schirrosi, polyposæ concretiones & alia inde sequentia mala oriri possunt: tandem & potio aquæ frigidæ vel gelidæ infesta habetur, præsertim si ab æstuante homine assumatur, quæ Elasticitatem vasorum augendo, humoresque incrassando obstrunctiones terribiles ut sunt Pleuritis peripneumonia & similia mala excitare valet, quæ, quantum in hunc morbum nocere possunt, in prioribus jam vidimus.

§. 18. Ad res non naturales etiam refero medicamenta acria, rancida & valde calefacentia, quæ stimulo suo sanguinis motum augendo, ejusque crasin ex tenui in crassum, ac ex blando in acrem pervertendo nocere possunt: quo & venena retero, quæ sanguinem coagulando vel vasa constringendo peccant; inter quæ lepus marinus cœcâ proprietate id præstare videtur.

§. 19. Inter gesta pertinent nimius motus vel quies tam animi quam corporis: nimius autem corporis motus auget sanguinis venosi accelerationem versus cor & pulmones, nam musculus dum agit vel se contrahit sanguinem venosum exprimit, hincque a nimio motu citius etiam sanguis derivatur ad cor, quod etiam a stimulo in celeriorem cum arteriis provocatur contractionem, unde in pulmones aliquando vasorum rupturas producere posset, etenim accidit aliquando videre in equis a magno cursu defatigatis, ut vas rumpetur & sic ingens hæmorrhagia producetur; vel aliquando talis motus excessivus errores loci producit, hinc inflammations & similia consequentia mala Phthysi producendæ apta: sic visus est Canis ve-

naticus, qui non amplius potens currere, se absonderat in spelunca quadam, qui inventus extus niger apparebat a gangrena jam facta; intus vero invenire omnem sanguinem in vasibus subcutaneis, ex quibus itaque liquido constat; Motus nimios summa quoque noxia in hunc morbum adferre posse: vel motus nimius peccat, quatenus humores nostros acres facit; motu enim aucto augetur quoque calor, unde bilis magis accenditur & acris fit, sic & sales & olea naturaliter blanda, acris fiunt, imo tota massa sanguinea magis inspissatur, quæ, quantum obstruere & exulcerare possunt, unicuique ex facili appetit. Huc referuntur etiam exercitationes corporis Nimis & graves, ut nixus laboriosi parturientium, elevationes graviorum ponderum, luctatio, saltus, ictus & prolapsus in pectus, vociferatio, tussis, cantus, vomitus & similia: quibus edendis pulmo summos nixus patitur a sanguine minus recte transeunte; quia aëre incredibili copiâ hausto & retento vesiculæ aëriferæ expanduntur, hincque vasa sanguifera distracti huntur & angustiora fiunt, unde obstrunctiones inflammations & mala inde consequentia exoriri possunt, vel aliquando vasa disrumpantur & hæmoptoën producit, & hoc quidem præcipue accedit iis, qui tubicines dicuntur, qui honoris gratia adeo intendunt sonum, ut vel herniosi fiant vel sanguinem spuant; vide Observat. Diemerb. 66. unde vasibus apertis vel obstructis & inflammatis summa inclinatio in exulcerationes.

§. 20. Nimis autem quies econtra peccat: quatenus Viscera vel fibras musculares debilitandō, Languidum efficit humorum motum, hinc inertia & quasi vappescientia Liquidorum, Cruditates, Cacochymia &c. producuntur, unde stasis circulantibus Liquidis introductus, tandem in Inflammationes, suppurationes, & ob acrimoniam junctam in ulteriore exulcerationem degenerare valet.

Huc referuntur porro somnus & vigiliae modum excedentes; somnus enim Nimis liquidissima consumit, unde sanguis lentescit & inspissatur, tandemque perspirationem prohibet,

ex

ex qua augetur humorum moles, exinde acrimonia, unde sanguis sic dispositus sua quoque Noxia in hunc morbum adferre potest.

Sic e contra vigiliæ modum excedentes peccant, quatenus Spiritus, subtilissimum illud liquidum, e corpore Consumunt; sicque coctiones turbandô, Cruditates producunt: nam nullum Viscus aut glandula est in corpore ad quas non venit nervus, hinc consumpto spiritu coctio quoque impeditur: præteraque sanguine Liquidis tenuissimis ac blandis privatô, necesse est partes reliquias incrassari & acres fieri, quæ spissitudinē & acrimoniâ rursus suâs tragœdias in hunc morbum ludere possunt.

§. 21. Tandem ex hac Classe animi pathemata refero, tam calida, quam frigida dicta: prioris generis sunt ira, Excandescens, vindictæ &c: quibus sanguis aliquæ humores majori velocitatè moventur quam in statu naturali: sic videamus aliquando ab ira vel vindicta faciem quibusdam tumere & ruberé, dum interim aërem minus expirant, unde vasa pulmonalia in rupturæ vel obstructionis periculô exponuntur, exinde corruptio vel exulceratio.

Imo animi affectus, frigidi dicti, huc conferunt, qualis sunt tristitia, mæror, metus, invidia, desperatio &c. quæ priora respirationem videntur retardare, quoniam tristes & meticulosi facilime & saepe in profundissima suspiria cadant: in genere quoque hæ affectiones humores lentius commovent, unde inertia & stagnatio humorum, ac priora dicta.

§. 22. Huc quoque referuntur retenta & excreta: quæ, quantum ad morbos producendos conferunt, ex utilissimo Sanctorii libello satis apparet: spectant huc variæ excretiones consuetæ suppressæ vel imminutæ; veluti fluxus menstruus in sexu sequiori, hæmorrhoidalis vel Nasalis in Nobiliore suppressi vel immuniti, unde non solum augetur humorum moles, sed hac ratione (inductâ Plethora & acrimoniâ quadam juncta) Natura per modum metastaseos materiam superfluam e corpore exercendam ad pulmones transfert, quæ sua copiâ, acrimoniâ atque impetu Noxia in hunc morbum adferre potest. Imo Mortonus lib. 3°. Cap. 9°. in Mulieribus usitatisimam originem Phthyseos

seos agnoscit menses obstructos: sic Phthysin a suppressis mensibus exortam memorat Job. Freynd in Emmenologia sua pag. 108. & Hippocrates Lib. 1<sup>o</sup> de morbis mulierum pag 590. scribit: *quibusdam mulieribus menses bimestres in uteris existentes ad pulmonem recedunt, & ubi intercepti fuerint, omnia patiuntur, quæ in tale dicta sunt: ejusmodi exemplum legi potest apud Prosp. Alpin.* in lib. de med. method. pag. 672. & apud Bonethum titulo de Phthysi: huc referuntur quoque fluxio lochiorum in puerperis suppressa, quæ, quanta mala & terribilia Phænomena producat, saepe quædam miseræ mulierculæ magno suæ sanitatis & aliquando vitæ dispendiō experintur; etenim materia hæc in corpore retenta & acri facta, aliquando ruit ad caput & producit Phrenitidem, apoplexiā &c. si vero ad pectus ruat; ob materiam acri qualitate præditam, teneras pulmonis partes obstruit. erodit, & tandem exulcerat, & sic veram Phthysin producit.

Inter hanc quoque Classem refertur missio sanguinis certis temporibus consueta ac repetita, postmodum vero neglecta: nam consuetudo altera natura est, hinc idem efficit ac evacuatio naturalis suppressa: tandem huc referuntur fonticuli, setacea, & ulcera sordida tam vénerea quam scorbutica vel cuiuscunq; generis sunt, nuper pus, saniem, aut aliud quid stillantia, subito occlusa: quæ materia hac de causa in corpore retenta & ad pulmones delata, eos facile arrodit vel exulcerat.

Sic & Excreta hic peccare possunt, veluti excretiones alvi, urinæ, sudoris, perspirabilis materiæ, vel salivæ nimis auctæ: quibus excretionibus, humorum partes liquidiores ex corpore subducuntur, dum interim crassiores intus relictæ, & a Blandis ac tenuissimis destitutæ in obstruktiones, inflammationes & exinde in suppurationes pronæ videntur.

§. 23. Ultimam tandem Classem rerum non naturalium claudunt Applicata: ut in primis aër frigidus, aqua gelida, vel nix partibus thoracis applicata; quæ perspirationem prohibendō, vasorumque systolicam actionem augendō, aliquando periculosas obstruktiones in partibus interioribus excitant: quod etiam Clariss. Fred. Hofman testatur. dum med. rat. tomo 2<sup>o</sup>. sect. 3<sup>o</sup>. cap. 7. ita differit: *vehemens frigus id habet incommode-*

*di,*

dit; ut fortiori fibrarum & vasorum strictura ac compressione, humorum motum ab ambitu corporis magis ad interiora urgeat ac convertat, & æquabilem atque per vasa minima exteriora liberum sanguinis & humorum circuitum impediendo, graves & periculosos in partibus presertim debilioribus infarctus, vasorum Repletiones & morbiferas semper stases & stagnationes Efficiat: quod si hæc in pulmone contingent, quis non videt, ob teneram & mollem quam habet hoc viscus substantiam, aliquando veram Phthysin exoriri posse? huc quoque referto comprimentia externa: ut sunt V. G. arcta vestimenta, vel ligaturæ strictiores pectori applicata; quæ thoracis motum in Respiratione lædendō cum prædictis causis mala dicta producere potest.

Tandem huc referuntur Ictus, Casus, Contusiones, & Vulnera quocunque modo facta & cavum thoracis penetrantia, quæ sua Noxia in hunc morbum pariunt, quatenus Hæmoptoën aut Empyema & inde Natam Phthysin producunt: etenim vasis sanguiferis apertis & dissectis: necesse est ut Sanguinem plus minus fundant, qui si in Cavitate thoracis maneat, quod sæpe fit ob subitam & intempestivam vulneris consolidacionem in empyema degenerat; quoniam materia extravasata, acris fit, quæ partes teneras Inflammndo, rodendo & destruendo exulcerat: & sic veram Phthysin pulmonalem excitat; vel quatenus vasis pulmonalibus reseratis ægrum in Hæmoptoën & exinde in exulcerationem præcipitat. Sic Phthysin a vulnere pectoris inductam refert Bonethus tit. de Tabe Obs. XV. Lib. 2. Sect. 7. ejusmodi Exemplum memorat Diemerbroekius Libro 2° Anat. Cap. 13. de Rustico quodam 22. ante obitum mensibus Ictu Cultri vulnerato in thoracis Latere sinistro; cum Effluxu materiæ fœtidæ purulentæ ad mortem usque, qui tandem apertus & Lustratus exhibuit pulmonem in Vulnerato latere pene consumptum, adeo ut fere dixisses in eo Latere unquam quicquam pulmonis fuisse: ex quibus itaque videmus Vulnera thoracis ad tristissimi hujus morbi exortum multum conferre.

Hisce itaque visis: necesse est ut causam proximam contemplemur.

§. 24. Ex causis itaque dictis videmus, Causam Phthyseos pulmonalis proximam esse ulcus pulmonis, sive solutionem continui, cum humorum a naturali Charaktere degenerazione; a quo ulcere integra aliquando pulmonis substantia consumitur, cum extenuatione totius Corporis a febre lenta, tandem in Hecticam degenerante; quæ febris lenta, continua, aliquando intermittentibus juncta, originem dicit a materia purulenta & vitiosa, massam sanguinis inficiente & corrupte; quatenus materia hæc morbosa sanguinem ex blando in acrem, & ex homogeneo in heterogenum liquidum commutat, etenim corrupta & putris illa materia sanguinis crasis dissolvit, & producit Cacochymiam tractu temporis insanabilem cum summa acrimoniâ, unde a tali sanguine impuro quoque & impuros & acres fecerni necessè est, qui &, ut & sanguis acris, partes sensiles atque motrices, ut imprimis Cor & Vasa ad intensorem Contractionem Provocando, febrem illam producit; quæ tenuissimos humores e corpore subducendo Nutritionem sensim impedit, dum tractu temporis eosque se figit in Corpore, ut omnia Liquida, imo ipsam pinguedinem & medullam ossium fundat & dissipet, unde ob pertinaciam ac profundas quas fecit in corpore radices, Hectica sive Habitualis nuncupatur: ex quibus itaque videmus febrem hanc hecticam non esse morbum primarium sed secundarium, quatenus originem suam debeat labi partibus solidis inhærenti, ideoque est febris quasi symptomatica a priori morbo existente producta.

## CAPUT TERTIUM.

*De Diagnosi.*

§. 25. Signa hujus morbi diagnostica sunt duplia, quorum alia imminentem, alia præsentem Phthysin declarant: Imminere hanc affectionem videtur, si talia præcesserint, quæ inter Causas hujus morbi antecedentes recensuimus: & imprimis si hæc accident Corpori Cacochymico, Scorbuto vel male Conformato, cum signis suppurationis Incipientis; ut

V. G.

V. G. in Phthysi oriunda a peripneumonia prægressa, in qua Suppuratione Inchoandâ natura magis febrem auget & excitat, quæ suppuratione factâ rursus decrescit cum Inducto horrore inordinato & frequenti, ob purulentam materiam jam factam, quibus horroribus etiam jungitur respiratio difficilis anhelosa & parum dolorifica cum tussi molesta; quæ signa, si medico appareant, de Phthysi summopere metuere debet: imo *Hippocrates* in Coacis prænot. textu 17. hoc jam præmonuit & scripsit, ubi dicit: *frequens horror & difficultas in doloribus tabis indica sunt*: denotat autem, materiam purulenta jam factam esse; quæ sua acrimonia partes membranofas & nervosas vellicando & pungendo hasce commotiones vel horrores producit: sic quoque si hæmoptoës prægressa, aut congestiones materiæ in pulmone vel pectore tragœdias in hunc morbum ludunt; tunc quando in suppurationem absunt, æger de horroribus ac tussi molesta plerumque querelas agit, sic quoque ex empyemate per sua apparentia signa: quibus omnibus itaque a prudenti medico in ægro observatis, ipsi nascitur statim occasio, ut ad averruncandum Minax hoc malum Cito remedia adhibeat; ne malum hocce radicum in modum proserpendo & solidas partes inficiendo, postea omnem Curationis spem excludat: imo in initio huic morbo occurrentum esse jam monuit *Celsus* Libro 3. Cap. 22. ubi dicit: *quod si mali plus est, & vera Phthysis est, inter initia protinus occurtere necessarium est: neque facile enim hic morbus, cum Inveteraverit, Evincitur*: hinc convenit carmen illud subjungere: *Principiis obſta, ſero medicina paratur, dum mala per longas invaluere moras.*

§. 26. Signa præsentis Phthyseos, rursus duplia sunt; quorum alia morbum progredientem & adhuc mitiorem ostendunt; alia quæ morbum jam confirmatum & deteriorem denuntiant.

Prioris generis signa sunt imprimis febris lenta continua intermittentibus juncta, cum pulsu parvo & celeri, quæ febris tandem progrediente morbo in hecticam degenerat & nullo modo intermitit, sed præsertim post cibum assumptum ac nocte exacerbari solet, cum pulsu aucto & celeri, sed tamen

debili, accedit & rubor genarum, qui præsertim post cibum assumptum exoriri solet, qui forte ex eo fit, quod hoc tempore dum chylus crudus pulmones est transiturus cum reliquo sanguine venoso, cor dextrum magis stimulatur, & major motus concitatur subactioni chyli per pulmones vitiatos transmissuri, unde itaque ob majorem motum febrilem Caloris major fit excessus; Cum quo excessu Caloris etiam pulsus velocior & major fit, qui cum diminutione Caloris rursus minuitur, usque dum in eum statum redigatur in quo fuerat, antequam Cibus assumptus erat. Vel rubor forte ex eo excitatur, quod sanguis venosus ad cor dextrum delatus plus minus eo resistentiae patitur, hincque in vasis faciei copiosior quam naturaliter retinetur: hisce jungitur tussis aucta & quandoque valde molesta, cum rejectione materiæ purulentæ albæ, flavæ, vel subviridis, imo aliquando striis sanguineis mixtæ, accedit & hoc, quod ægri simul de dolore gravativo pectoris querunt ac molesta & diffcili respiratione; quæ etiam post cibum assumptum augeri solet, ob vitiatos vel Infarctos pulmones, qui chylum Crudum non facile subigere possunt, unde naturæ molimine febris excitatur; hisce jungitur tandem sudor postquam febris de sua vehementia remisit, qui diurno tempore exiguis saltem non tam copiosus quam Nocturno est, qui sudor est crassus, viscidus & unctuosus ac odorem spirat talem, qualem exhalarē deprehendimus ex Lacte dulci jam acido facto, imo hujus febris Indoles est, ut plerumque sine ullo frigore crudescat, sed e contra calore acri juncta est, qui Calor tamen ab ægro sine magno incommodo tolerari potest: alvus ut plurimum segnior iis est: urina naturali Colore referta vel magis rubicunda; appetitus multum est Imminutus & aliquando prostratus, sitis vero aucta, quæ bina Phænomena ex eo produci puto; quia febris illa hectica solvendô & dissipandô Liquida nostri corporis, excretiones & secretiones turbat, ac liquida nostra ex blando in acre pervertit. Si vero Phthysi ex vomica pulmonali factâ æger laborat, tunc signa non tam Clara sunt, etenim (dictante Tulpio Lib. 2. Obs. 10.) Latet hoc vitium inter Initia adeo Clanculum ut vix ulla sui proferat Indicia; præter tussiculam pri-

primum Siccam, sed mox humidam; qua aliquamdiu continuante: Trabitur difficulter &c; deficit anima & Emarscit paulatim Corpus: Licet interim, nec pus, nec sanguinem præ se ferant spuma: sed si rumpatur, nec opinanti, vomica: occiditur dictum ac factum homo. Vel si jam manserit aliquamdiu suo exitio superfles: consumitur tamen lente a febricula; Sive ob pus, vel sanguinem per thoracis interiora Effusum.

§. 27. Signa morbum Confirmatum designantia prioribus Clariora sunt: etenim febris Hectica cum suis symptomatibus magis intensa est: quibus medicus non solum sed & ipsum vulgus Phthysin adesse sciat: dictante Aræteo Cappad. Lib. 1. cap. 8. ubi dicit: *Si quis enim vel Plebejus viderit hominem pallentem, Imbecillem, tussicentem, & macie confectum, hunc vera Phœnix laborare pronuntiat.* Quæ Phænomena etiam maximum hoc tempore apparent; pallent autem & imbecilles sunt: quia sanguis & reliqui in corpore humores colliquantur, & hinc a sudoribus dissipantur, ob Calorem illum Hecticum, qui omnia solvit & dein corpus exaridum vel exsuccum reddit: imo & tussiendo malum hocce se prodit, quæ aliquando molesta & quasi Sonora, aliquando vero commoda est, cum excreatio ne materiæ purulentæ, quæ ratione quantitatis & qualitatis varia est, vel est alba, flava, subinde subviridis plerumque fundum petens, quod tamen non est signum certissimum; nam in catharrosis & rheumaticis saepe sputa rejiciuntur, quæ fundum petunt; quod tantum dependet a majori minorive aëris insinuatione, vel sputa hæc apparent aliquando subsalsa vel subdulcia, vel fœtida si igni imponantur: imo ratione quantitatis variant, tamen hoc tempore plerumque copiosiora sunt, quam in morbi initio & progressu, imo nonnunquam per tussim excreant portiunculas ipsius pulmonis; Vide *Tupium* in observationibus Lib. 2. Cap. 12. Sed hæc variant, prout variat ulcus, tempus & conditio æ gri: tandem extrema macilenta se prodit, quæ semper comes est, & pro Effectu febris hecticæ habetur; quæ Liquida ac solida nostra eo deducit, ut excarnata & quasi excocta videantur: etenim materia purulenta cum reliquis in corpore humoribus mixta, ac febrili æstu ac-

censa consumit partes nostri corporis, ita ut sudoris Effluxus tandem Exarescant, & faciem sceleti referant: imo fibræ carneæ ob pinguedinis Consumptionem Lividiores & duriores fiunt, quæ induratio aliquando eosque procedit, ut tendines quasi osseum videantur induisse substantiam, urina appetet valde rubra in superficie pelliculâ oleosâ tecta cum Hypostasi furfuracea in fundo, morbo tandem ad finem vergente, ungues Lividæ & incurvæ apparent & facies exoritur *Hippocratica*: quam expressit citatus auctor, Libro prænotionum pagina 36. ubi dicit: *fuerit autem hujusmodi nasus acutus oculi cavi, tempora adstritta &c*: quæ facies in hecticis vel Phthysicis apparens, æque malum summum est ac in morbis acutis, de quibus *Hippocrates* ibi Loqui videtur; accedit tunc plerumque alvi fluxus incompescibilis cum depositione materiæ vel putridæ corruptæ. Vel aliquando inodoræ, quæ vel summis aliquando torminibus, vel ipsis insciis sine ullo sensu rejicitur. Tunc & pilorum sequitur defluvium, pedum & aliquando manuum œdematosus tumor; sputorum dejectio imminuta, respirationis actio aucta & difficilis; tandem cum Effusione Lachrymarum Spontanea, ac Sudoris viscidi ex facie eruptione, placidam ac quietam vi-  
tæ clausulam ponunt.

Hisce jam dictis: ordo exigit, ut ad prognosin transeamus.

## C A P U T Q U A R T U M.

### *De Prognosi.*

§. 28. Quod ad mali prognosin attinet, in genere dicendum est, morbum hunc periculo plenum & sape incurabilem esse: etenim dictante Galeno Libro 4. & 5. de morbis: ac Prospero Alpino de præfig: vita & morte Lib. 5. Cap. 8. multi & plurimi Phthysici pereunt: & pauci tantum convalescunt: imo Sydenhamus pag. mihi 415. dicit: *quod duo trientes fere eorum pereunt: quos morbi chronicci jugulant.* Attamen magna datur differentia in prognosi facienda: nam non idem est peri-

cu-

culum, sed variat prognosis, prout variant causæ antecedentes morbum hunc producentes.

Ratione Causarum antecedentium differunt: quod sc. alia Phthysis sit hæreditaria, alia acquisita: quarum prima est omnium pessima; neque sananda nisi cum præcautione hemoptoës videatur *H. Boerb. Prax. Med.* §. 1207. altera sive acquisita rursus differt, quod in una specie plus est periculi in alio minus; Sic Phthysis ab hæmoptoë sine vitio interno præexistente, sed ab externa causa producta facilis est curatu & minus periculi habet, quam quæ consequitur morbos Inflammatorios, vel quascunque causas contagio, aut Congestione materiæ purulentæ peccantes.

§. 29: Imo Phthysicorum prognosis etiam variat ratione vehementiæ aut durationis morbi: sic Phthysis recens, quamvis periculosa sit, & curatu difficilis: tamen curabilis est, testante variorum auctorum experientiâ: & præsertim si æger corpore robusto & juvenili prædictus sit, ut & vires non nimis prostratae sint; appetitus satis bonus, cum rejectione facili sputorum subalbicantium & minime fœtentium: ubi econtra Phthysis inveterata nunquam aut raro curatur, sed curâ palliativâ ad longum temporis spatium sustineri potest: sic *Avitenna* memorat de fæmina, quæ ultra 20 annos Phthysi laboravit.

Ratione ætatis quoque variat: etenim senibus periculosius est Phthysis, quam juvenibus: quia senes imbecilliores sunt, & ut hi liberentur, magna vis requiritur, quæ per tußim ac sputa expurgat: vide *Galenum* libro 5 de locis affectis, & hinc etiam est quod *Hippoc.* librō prænotionum pag. 43 dixit, ex pulmonum morbis, concitatas suppurationes fere senibus mortem inferre: differt quoque pro varia temporis Constitutione: sic tempore verno, vel autumnali, magis periclitantur ægri, quam æstatè mediâ; quoniam frigidum inimicum est pectori & ulceribus; dictante rursus *Hippoc.* sect. 5. aph. 20. & 24. quantum poros corporis constringendo noxiā in corpore materiam magis accumulat & retinet: quæ retenta magis exacerbatur cum ulteriori depascentia solidorum; accedit & hoc, quod scil: illo tempore etiam fluxionibus catharrosis plus afficiuntur quæ

que singula, quantum praesens malum in pejus ruere valent, unicuique credo satis apparet: imo citatus auctor sect. 3°. aph. x. dicit, *autumnus tabidis malus*: & libro 1°. & 3°. Epidem. dixit: multos hisce temporibus hoc morbô laborantes interimi.

Ratione sexus hic morbus quoque variat: etenim mulierculæ aut virgines plus periclitantur, quam viri aut juvenes: quoniam laxioris utcunque sunt fabricæ solidarum partium, hinc quoque tenerior & laxior iis pulmo est: qui hac de causa etiam citius ab ulcere consumi potest; imo & ob debilitatem, quam ut plurimum præ sexu virili majorem habent, non tam facile expurgari possunt: denique (ab omni mense consueta, sed alevi aliquando causa intercepta menstruatione inductâ Plethora) malum augetur, vel morbo devicto recidivæ imponit metum.

Ratione Eventus quoque differt: sic aliquando criticé curatur per urinæ vias: quamvis hoc raro fiat; tamen illud factum esse, probant Exempla practicorum & observatorum, sic si bene memini, clarissim: & nunquam satis honorandum virum præceptorum meum Oosterd. Schagt dicentem audivi; sibi cum Clarissimo Boerhavio in ægro illud optimo cum successu Evenisse: qui æger, postea per 13 annos sanus supervixit.

Aliquando vero per diarrhæam criticé curatur, sed quoque raro, nam hac viâ terminatur plerumque ad mortem, sed si vires constent & æger juvenis sit ulcusque recens, tunc forte fieri posset.

Vel terminatur aliquando perfecte per veram curationem; aut per desiderium inexplebile in ægro excitatum: ratione prioris satis hoc docere videntur observationes auctorum, inter quos Diemerbroekius obs. 30. Avicenna, Bonetus, & plures alii recentiorum qui hoc in Praxi observavere: & ne procul a scopo confirmationis abirem; allegam tantum ea quæ clariss. H. Oosterd. Schagt in privato Collegio mihi & commilitonibus meis dixit: nempe, de 5 suis ægris a Phthysi curatis & ad pristinam sanitatem restitutis. ratione posterioris illud confirmare videtur Tulpianus lib. 2. obs. 8. de fœmina ostreis perfa-

sanata: quamvis hæc tamen rariora sunt.

Aliquando vero terminatur imperfecte: quando adjuvante medicorum auxiliō palliatur morbus; h. e. ulterior ejus progressus quantum potest avertatur ob denegatam radicalem curationem: vel terminatur saepe ad mortem: & præcipue si sit inveterata Phthysis, in qua pulmones fere consumpti sunt, in quibus resarciendis natura deficit & ars. unde tandem superveniente alvi fluxu ac capillorum defluviō ultimam vitæ claudunt horulam.

Tandem & adjungere licet, morbum hunc plerumque esse diuturnum & chronicum: quamvis aliquando (sed tamen raro) subito ægrum interficiat, sic apud *Hippocratem* ad calcem lib. 5. Epidem: habetur Exemplum, de Phthysi intra 7 diem læthali facta: sed hæc, si fiant, contingunt imprimis Phthysi morbos inflammatorios consequenti, hisce itaque præmissis ad curationem me accingo; quæ ex morbi contemplatione etiam summam difficultatem parit: nam pars affecta est pulmo, qui continuo movetur, ulcerus vero ad sui Curationem requirit quietem; sic febris requirit humectantia & refrigerantia ob calorem illum intensum exsiccantem, ulcerus vero econtra exsiccantia & parum adstringentia, quæ rufus expectorationi obstant: imo medicamenta salvis viribus non possunt deduci ad partem affectam, quia debent prius subire actionem ventriculi intestinorum &c. a qua multum mutantur: imo ob circulationem quæ subito fit per pulmones, non possunt satis remorari ac suas Vires exercere: ex quibus itaque videmus malum hoc curatu difficillimum & diuturnum esse si jam curetur: nam *soluta continuitas in pulmone coalescit difficulter*: testante *Sennerto* tomo 2. Cap. 3.

## CAPUT QUINTUM.

### *De Curatione.*

§. 30. Curationem inchoaturus: animum advorto ad pecunias.

liaria indicantia: quoniam in omni morbi statu; non una eademque requiruntur remedia: sed quilibet morbi status propria ac peculiaria remedia vel indicantia postulat: quare tutissima medendi ratio forte in eo sita est; ut 1°. medicus sedulo attendat & interroget morbos prægressos, vel quæcunque symptomata quæ Phthysin imminentem demonstrant, ut hac ratione minax malum præveniatur: quod fit curâ prophylactica, 2°. ut medicus morbo jam præsente respiciat non solum morbos prægressos, sed etiam symptomata jam apparentia, tempus morbi, h. e. quo usque jam perseveraverit, ut & artis vel naturæ conamina per totum morbi decursum: ut hac ratione singulis propria sua indicantia vel repugnantia subministrare posset.

§. 31. Priori itaque effato satisfacit Cura prophylactica vel præservatoria dicta; quæ eo respicit, ut scilicet minera futuri & quasi imminentis Phthyseos, auferatur, antequam jam ipsum præsens malum emergat: Sic V. C. in hæreditaria ad Phthysin dispositione, Cura prophylactica sequenti methodo institui potest: mittatur nempe sanguis bis vel 3 in anno aut plus vel minus, vel serius ocius prout robur vel constitutio ægri postulat, initium faciendo ab anno 16. ad annum usque 26. vel ultra, ut hac ratione Hæmoptoe præveniatur. Sed & interim simul ægro convenientia remedia exhibenda sunt: quæ vasa corroborant, acrimoniam obtundunt & temperant, atque sanguinem (nimis tenuem) densorem reddunt: hisce in genere satisfaciunt imprimis moderatus motus corporis, ut ventio lenis in equo vel rheda, moratio in aëre puro, sicco & moderate calido: vitetur autem aér nebulosus, humidus, crassus, pluviis vel Ventis austrinis refertus; qui si natura sua non est ut requirebatur, arte excitari potest: imo vitentur omnia quæ sanguinem nimis stimulant; ut sunt animi pathemata calida dicta, aromatum nimius usus, & imprimis liquorum inebriantium potatio; imo talia, quæcunque vomitum ciere valent: porro cibi conveniunt Euchymi & Eupepti, qui boni succi sunt, & facilis digestionis & quæ solidas partes optime nutrunt ac confortant, inter quos recenso lac, sed imprimis lac caprillum vel asininum, cuius effectus insignis videri potest

apud

apud Trallianum Libro 7. pag. 304. denique ova recentia & forabilia , panis bis coctus , jura carnium herbis succosis & acescentibus alterata , decocta panis bene fermentati , vina rubra austera , parca copia aliquando assumenda ; porro acrimonia prout biliosa , acida , vel alio modo peccat , pro sua praesentia remedii convenientibus occurri debet : Sanguinem quoque densiorem & magis plasticum efficiunt , motus illi dicti , ac cibi assumpti & praesertim vina illa austera : & si simul tunc peccat acrimonia biliosa calida ; quae pleramque in his praesens est ; convenient decocta vel infusiones quae parantur ex lactuca , portulaca , Boragine , acetosa , millefolio , agrimonie , rad. altheae , plantaginis , semin. lactucæ & portulacæ ; cui colat : addatur rob ribesiorum , vel berberorum cum s. q.  $\frac{1}{2}$   $\text{lb}$  per campan. facti ad gratum saporem : vel delicatulis sequens exhibeat Claretum : *¶ Conserv. Boragin. buglossæ, violarum ana 3i. rosar. rubr. syr. Charyopkyll rubr. ana 3vi.  $\frac{1}{2}$  Sulf. p. Campan. gutt. xxiv.* Commisceantur in mortario marmoreo pistillo ligneo ; & diluantur vel dissolvantur cum s. q. decoct. tenuior. hordei ad Colatur. libr. ij. cui adde aqu. rosar. 3v. si vero non satis aciditatis sulphuris insit : addi potest tantum , quantum assumenti placeat : de qua potionc aliquando per diem 3i vel ij. assumant : ut hac ratione ægri a Minace Phthysis ( si quidem liberandi sint ) liberentur , dum cæterum in Phthysin lethalem incidan : hæc pro Exemplo tantum allegavi , sed simili quoque Methodo in omnibus causis futuram Phthysin Minantibus procedendum est ; quarum Curatio variat , prout variant morbi prægressi , qui tanquam fons & scaturigo hujus mali esse possunt .

§. 32. Alteri Effato ; ubi morbus jam praesens est , prospicitur methodo Curatoria ; vel palliativa : quarum prima variis nititur indicationibus : generaliora ex fonte diætetico peti possunt : hinc itaque vitentur cibi , qui acres & difficilioris sunt digestionis : ut carnes vel pisces sale aut sumo indurati , qui Chylum crassum , acrem , pulmonibus iniuricum generare possunt : sed assumantur talia , quæ blanda , lenia & facilis digestionis sunt , ut jura carnium vitulinorum , vervecum ju-

niorum , & pullorum cum herbis succosis alterata : velut En-  
divia , lactuca , portulaca , malya , spinachia , chondrilla , vero-  
nica , parietaria &c. quæ sanguinis acrimoniam temperare va-  
lent : ex piscibus vero maxime convenientia Cancri fluviatiles  
& ostrea , quæ facile digeruntur , & vi nutriente ac refrige-  
rante prædicta sunt , quod æstui illi febrili optime accommoda-  
tum videtur : porro assumantur ova gallinacea recentia sorbi-  
lia ; Lac , ptisana ex farinosis parata : ut decoctum avenæ de-  
corticatae cum saccharo simplici vel quod melius est Rosaceo ,  
quorum diuturno usu & ægri ( quos celeb. H. Oost. Schagt Cu-  
ræ habebat ) ad pristinam sanitatem redacti sunt . Cæterum  
inter omnes cibos maxime convenient lac , & præcipue lac mu-  
liebre si recens ex fano & vegeto corpore sugatur , quod abster-  
gendo , temperando ac nutriendo , optimos saepe effectus in  
hoc morbo habuit : imo Galenus in Lib. de cibis boni & malii  
succii , cap. 3tio scripsit : quosdam existimavisse , ulcera pul-  
monis tantummodo lactis potionem sanari posse : scilicet in mor-  
bi principio ; imo Aræteus Cappadox cap. 8. de morbis chro-  
nicis dicit : *Si quis Phthysicus multum laetis putet , nullo alio  
eget alimento ; in morbo enim est bonum medicamen :* imo obser-  
vationes testantur ; quosdam Phthysi laborantes , postquam  
multa remedia incassum adhibita fuerant , tandem solo lactis  
usu & imprimis Caprilli reconvaluisse : vide super hac de re  
*Clariss. Fred. Hoffmannum Dissertat.* 8. de usu lactis pag. mihi  
221 , 223 & 24. *Diemerbroekium Observ.* 3. pag. 32. *Lasa-  
rum Riverium Cent.* 2. obs. 73. quidam medici præ aliis lactis  
speciebus laudant asininum , quia plus seri in se contineat , & hinc  
optime diluat , suppletatque defectum liquidissimarum partium fe-  
brili motu ac æstu e sanguine excussarum , denique ulcus optime  
abstergit sale suo dulci deterioso , atque acrimoniam contemperat  
& obtundit , deinde plus minusve alvum blande subducit : vide *Hippoc.* lib 2. de Diæta : alii rursus eligunt lac muliebre , ut imprimis  
*Rivarius* : qui dicit illud melius esse : utpote naturæ nostræ ma-  
gis familiare : sed in posterum dicit lac asininum esse usitatius ;  
quoniam multi ab lacte muliebri abhorrent : tamen magnæ ef-  
ficacitatis esse lac muliebre , testatur *Platerus* : cuius usu mul-  
tos

tos restitutos se vidisse refert, imo ex iis unum, tantas vires  
recepisse, ut, ne lac sibi in posterum desiceret, nutricem de  
novo imprægnarit: differentia hæc in lacte datur, quod asini-  
num & caprillum magis serosum est, muliebre vero & vacci-  
num magis caseosum & butyrosum & minus seri in se conti-  
nent, quorum electio ergo pro varia conditione morbi variari  
potest, imo virtus ejus quoque magis augeri potest: si v. g.  
ducatur asina prope Cameram, in qua æger decumbat, &  
huic animali inter pabulum commisceantur herbæ veronicæ,  
capill. veneris parietariæ, malvæ, scabiosæ, hederæ terrestris  
&c. ut hac ratione lac, vi harum herbarum imbutum, majo-  
ris utilitatis esse possit: hujus lactis copia ægro assumenda sit  
ab initio pauca, ut sensim ventriculus illi asluescat, hinc pri-  
mo æger bis in die assumat calide ex ubere animalium delatum  
3ij singulis vicibus: postea sensim magis, ita ut aliquando  
omni quadrihorio 3v assumat: vitetur autem lactis coctio, quo-  
niā  $\Delta$  ejus, qui morbo prosunt a coctione diffitantur: unde  
etiam lac magis inspissatur, ut & partes blandæ oleofæ plus  
minus turbantur: hinc detur potius tepide quam primum ex  
ubere emulatum sit, vel servetur calide in balneo aquæ: quam-  
vis lactis utilitas in hunc morbum videtur esse magna, tamen  
usus ejus noxa non caret, testante Hippocrate sect. 5. aph. 64.  
ubi dixit: *Lac dare capite dolentibus, malum: malum vero eti-  
am febricitantibus &c.* ultimo tandem dicit, *Convenit vero tabi-  
dis non admodum valde febricitantibus (Lac) dare, & in febri-  
bus longis & languidis &c.* imo Aurelius Cornel. Celsus Lib. 3.  
c. 22. dicit: *Lac quoque quod in capitibz doloribz & in acutibz febri-  
bus, & per eas facta nimia siti, ac sive præcordia tument, sive  
biliofa urina est, sive sanguis fluxit, pro veneno est: in Phthysis  
tamen, sicut in omnibus longis difficultibusque febriculis recte dari  
potest: quinimo Galenus Lib. 5. meth. medendi, cap. 1: 12.*  
mentionem injicit loci, quem vocat *Stabias*: aëris bonitate,  
pecudum pabulo & lactis ibi emulæti salubritate celesterrimi, in  
quem frequentissime confluxerit, ad sanitatem, recuperandam  
elumbis Phthysicorum cibors: ex quibus itaque videmus, lactis  
usum in hoc morbo satis tutum esse, sed cavendum a vino

aut cibis post lactis potionem , donec bene digestum sit & a natura fames excitetur : porro a potionē lactis parum deambulent; ne vero lac acescat aut coaguletur in ventriculo addi potest aliquid mellis, sacchari , vel Julapium rosarum ad gratum saporem , quæ dulcia inter quæ mel imprimis . optimam habent efficaciam in detergendo ac expurgando ulcere : si vero æger ipso acido laborat , tunc ipsi non est lac exhibendum , priusquam acidum vel terreis absorbentibus vel salibus oppositis temperatum sit. Interea moretur æger in aëre moderate calido & sicco : qui si natura sua non est, ut requiratur, arte excitari potest : & si satis robustus adhuc sit; conducunt ipsi exercitationes corporis moderatæ : veteres maxime laudarunt longas navigationes (ut *Celsus* auctor est) ex *Italia* in *Alexandriam*, imo gestationes in navi per mare utilissimæ habebantur, quia aër falsuginosus ( auctore *Aræteo*) plurimum valeat ad ulcera siccanda : imo *Plinius* Lib. 21. cap. 14. dicit : *equitatio stomacho* , & *coxis utilissima*; *Pthysī* vero *navigatio* : & Lib. 31. cap. 6. de utilitate maris , *Pthysī* affectis ulterius scribit : & dixit, quod , *Ægyptus propter se non petitur* , sed *propter Longinquitatem navigandi*: Ob quam causam *Galenus* etiam locum, *Stabias* dictum & mox allegatum eligebat ; quia ille locus inclinat ad meridiem & vicinia maris , ac *Vesuvii* montem ignem vomentem , habebatque aërem sicciorē : hinc vitetur aér humidus & frigidus, vel pluviis aut ventis austrinis referitus : qui noxious est valde ulceribus, ut ex *Hippocrate* , loco jam citato constat.

§. 33. Quod vero ad medicamenta attinet, hæc sunt quamplurima: inter quæ, varia a multis fuere excogitata: quæ si hisce temporibus exhiberentur , sæpe magno Damno ægris comperirentur. Verum hisce temporibus, hujus morbi curatio aliâ instituitur methodô : quæ Nititur sequentibus indicationibus , si itaque signa præscripta Demonstrent pulmones exulceratos esse, hoc est veram adesse *Pthysin* cum *Sputorum* purulentorum rejectione: tunc indicationes oriuntur medicæ, quarum *ima* est : ut *Sanguis Corrigetur* , atque porro contra purulentam muniatur infectionem: *zda* humorum pec-  
can-

cantium affluxum ad pulmones inhibeatur & aliorum derive-  
tur: 3<sup>a</sup>. ut materia purulenta per anacatharsin, aut vias a na-  
tura criticè indicatas, e corpore expurgetur, 4<sup>a</sup>. ulcusque  
mundetur & consolidetur, 5<sup>a</sup>. ut symptomata Mitigentur.

§. 34. Primæ itaque Indicationi satisfaciunt diluentia, sub-  
acida, Balsamica: talia sunt, imprimis Decoctiones, quæ pa-  
rantur ex Rad. Bardan. graminis, Chinæ Electæ, Salsæparil-  
læ, apii, liquirit. fol. veronic. agrimon. Capill. vener. fuma-  
ria, taraxic. betonicæ, hederæ terrest. sem. fœnicul. apii,  
papav. alb. quibus addi potest Sal poluchrest. Nitrum, vel  
O: g̃iatum, mel &c. deinde ut acrimonia magis obtundatur  
atque involvatur, simul propinari possunt pilulæ ex myrrha,  
olibano, liquiritia, terebint. croco &c. ex quibus omnibus se-  
quentes formulæ concinnari possunt: itaque pro forma de-  
cocti. **U.** rad. gramin. Bardanæ, ana 3ij. chinæ elect. 3j. fol.  
agrimon. veronicæ, fumariæ, tarax. cum toto ana m. j. sem.  
fœnic. dulc. 3iij: fiat cum s. q. aq. Decoction, cui colat. t̃bijij.  
admisce sal poluchrest. 3ij. mell. massil. 3ij. de qua omni biho-  
rio diei assumat 3ij. interea simul sequentis formulæ unam pi-  
lulam cum hoc decocto assumat: **U.** tereb. ven. 3ij. myrr.  
Elect. 3j. olibani 3ij. croci Brittan. gr. xv. pulv. liquirit. q. s.  
*M. F.* pilulæ granor. v. pulv. liquirit. involvendæ interea uten-  
tur cibis dictis: & qui facilis sunt digestionis, : & bene Nu-  
triunt ac putredini resistunt, inter quæ, optimasunt, lac dul-  
ce cum pane biscocto & saccharo, vel Lac Ebutyratum  
coctum cum hordeo, pomis Subacidis & saccharo.

§. 35. secundæ Indicationi inservit cura revulsiva: h. e. malig-  
norum humorum confluentium ad pectus seductio: ut hac ratione,  
causæ soventes morbum extricari possint, sic V. G. ubi hu-  
morum acrīum salsorumque est confluxus ad pulmones: ut in  
Catharrhosis s̃a pe obtinet, cum tussi aucta: tunc requiruntur  
talia, quæ materiam hanc tenuem & acrem e corpore sub-  
ducere valent: & quidem talia, quæ prope partem affectam  
applicata, materiam peccantem educunt: cuius Efficaciæ re-  
prehenduntur esse setacea cervici imposita, de quibus *Hilda-  
nus* Cent. 1. observ. 41. dicit: quod in catharris & destilla-  
tio-

tionibus acribus ad pectus nil præstantius est, quam *Setaceum*, & Cent. 3. observ. 38. dicit: se nonnullos Semiphysicos, qui & Sanguinem & pus expuerent, hoc remediō præcipue curasse: huc quoque referri posunt fonticuli, in cervice vel Brachio instituti: porro Caput roborandum est, & humores frigidi in eo redundantes exsiccandi vel discutiendi: hunc in finem parari potest Cucupha ex Cæphalicis: Sic pro specimine sequens formula Concurrari potest: **Z.** fol. majoran. rosmarin. ana 3ij. flor. ejusdem, lavendul. melilot. ana 3iij. styrac. calam. Benzoes ana 3iij. nucis moschat. charyoph. aua 3j. **M.** & **F.** pulvis grossus pro cucupha. Quod Caput optime corroborat, lentores discutit & exsiccat; interea quoque si alvus nimis segnis est; leniter promovenda est per Eccoprotica, vel lenia Cathartica, si scil. vires ægri permittant: ut hac ratione etiam superflui ac mali humores e corpore subducantur: hunc in finem conveniunt agaricus, Rheum, fol. senn. mund. manna, cassia, syr. rosar. fol. cum senn. quorum electio est apud medicum, prout judicet, hæc vel illa convenire: simplex & tamen bonum hoc in Casu purgans parari potest **ex** mannæ 3ij. in sero lactis f. q. solut: cum crem. tart. 3j. vel si fortius desideretur, sumatur sequens pro homine adulto: **Z.** Rhei Elect. 3iv. agaric. rec. troch. 3j. cinamom. acut. 3j. Infund. in f. q. aq. cich. per noctem calide & colat. 3ij. adde: syr. cichor. cum Rheo 3vj. **F.** haustulus una vice assumendus. De quo, si æger paulo frequentius alvum depositit; ipsi horâ somni propinari potest Paregoricum. Ex quibus itaque videmus, scopum medici in eo versari tantum, ut tollatur id, quod augmento & nutritioni ulceris inservire potest.

§. 36. Tertiæ indicationi prospicitur remediis expectorantibus: quorum Numerus insignis est: Licet autem hic quædam Enumerare, ex quibus medicus varias potest concinnare formulas: ex vegetabili itaque annumerantur, rad. altheæ, consolidæ major, tussilagin, Iridis, liquiritiæ, fol. altheæ, malvæ, tussilagin., parietariæ, capill. veneris. Hyssopi, scabiosæ, pulmonar. hederæ terrest. flor. papav. Rhead. Hyperici, malvæ, violarum, sem. papav. alb. lini, anisi, fœniculi, fru-

fructus. amygd. dulc. Nuclea pini , pistach. ficus , dactili , jujubæ , sebelen , passuli , siliqua dulcis , saccharum &c. ex animali autem optimum omnium est mel , quod detergendi ac Expectorandi summam vim habet : tandem habentur adhuc multa alia , tam simplicia quam composita , de quibus omnibus animus non est agere : quoniam vereor , ne mea theses in nimis longum excurreret spatium , hinc quædam peculiaria in formulas exponam: quæ pro diversa morbi ac symptomatum apparitione variant:

Si itaque æger sputa crassiora cum summa difficultate excreat , absque ulla signis criticæ evacuationis per urinæ vel alvi vias apparentibus: tunc sequens ipsi potest exhiberi rediūm: **L.** *Syr. Hyssopi, marrubii ana 3j. oxymell. squillit. 3ß.* **M. F. Linctus.** De quo aliquoties æger lambat: vel mixtura sequens ipsi exhibeat: **L. aq. Hyssop. fæniculi ana 3ij. gumm. ammon. vitello ovi solut. 3j. syr. fæniculi 3j. M.** De qua omni bihorio cochlear unum assumat : ut hac ratione materia illa crassa & viscida magis attenuetur , eoque facilius e corpore expurgetur : interea quoque æger utetur decocto sequenti: **L. rad. tussilagin. fæniculi ana 3j. iridis florent. 3ij. herb. Hyssopi capill. ven. scabiosæ ana m. j. flor. pap. Rhead. Hyperici ana m. ß. ficuum ping. N. x. Coq. in s. q. aq. communis colat. lib. iiß. admisce sal poluchrest. 3iß. mell. narbon. 3x. d.** De quo æger aliquoties in die haustulum tepide assumat : cæterum utetur diæta Lacteâ: si vero materia per anacatharsin rejecta appareat tenuis , & acris cum tussi molesta ac parca interim rejectione , tunc convenit Eclegma , quod vi demulcente atque acrimoniam inviscante præditum est , & hac methodo concinnari potest: **L. Syr. Altheæ fern. 3iß. Capillor. vener. diacodii ana 3j. ol. amygd. dulc. rec. 3vj. spec. diatrag. frigid. rec. facti 3ij. ol. still. anisi gutt. vj. M. F. Eclegma.** De quo æger aliquoties in die parum lambat & leniter deglutiat.

§. 37. Si vero materia purulenta ad Colatoria renum verget: quod scitur , si in urina appareat materia purulenta , viscosa , vel saniosa fundum petens cum levamine , ac sympto-

E ma-

matum imminutione: ut anacatharsis imminuta, febris hæticas non tam vehemens, & tussis multum sedata &c. tunc naturæ molimini est succurrentum: hunc in finem conveniunt blanda diuretica pectoralibus mixta: Sequens itaque Decoctum propinari potest: **U.** rad. s. aperient. ana ʒij. ononidis. liquirit. ana ʒiſ. herb. malv. parietar. ana m. j. sem. apii ʒiſ. Coquantur in f. q. aquæ comm. colat. lib. iij. adde syr. s. radic. aper. ʒij. M. De quo æger omni biorio ʒij. tepide assumat: imo fotus Calidi Emollientes lumbis applicari possunt, si non sufficienter & commode hoc versus excernatur: interea simul ægri virium habenda est ratio: quæ, si non sufficere videntur absolvendæ crisi, refocillandæ sunt: quod fieri potest sequenti potionē. **U.** aq. Decoct. hordei ʒxij. vini Rhenan. ʒiv. n. vitæ matthiol. ʒj. rob. Ribesior. ʒij. M. De qua omni hora ʒj. assumat: vel bibat Nutriens & magis refocillans Decoctum ex sequentibus paratum. **U.** panis tritic. ℔. decoque per ¼ horæ in f. q. aquæ communis colat. libr. iiij. adde aq. cinnamom. succ. pomor. aurant. ana ʒj. syr. violar. ʒij. M. Velsequens exhibeatur Emulsio, quæ vires refocillat, acrimoniam temperat, ac blande diuresin movet: **U.** amygd. dulc. rec. excort. ʒvj. avenæ decort. sem. cucum. melon. papav. alb. ana ʒij. Contus. in mort. marmor. Emulge cum f. q. aq. bordei colat. ʒxxx. admisce aq. cinamom. ʒj. syr. violarum. s. rad. aper. ana ʒvj. d. De qua æger omni horâ: ʒij. assumat.

§. 38. Si vero materia purulenta criticè per alvum exire conatur, & morbus adhuc est in principio cum Virium Constantia; tunc adjuvanda est natura, & pro symptomatum præsentia remediis convenientibus sufficienda.

§. 39. Quartæ indicationi satisfaciunt ea, quæ ulcus a sorribus magis mundant, atque dein consolidant: hinc exhibeantur talia, quæ sale blando, fixo & amaricante constant: inter quæ recensentur imprimis Centauria, marrubium, virga aurea, saponaria, veronica, agrimonia, Betonica, botryos, rad. Bardanæ, chinæ, falseparillæ &c. ex quibus Variæ formulæ concinnari possunt: itaque pro scopo mundandi vel abstergendi talis formula præscribi potest: **U.** rad. Chinæ Elef. far-

*sal/par ana ʒj. fol. marrubii alb. mβ. agrimon. saponar. ana m. j. summ. centaur. min. p. j. coq. inf. q. aq. comm. colat. ibij. addē mell. narbon. ʒjß d. de quo æger omni bihorio vasculum théatum assumat. hucusque itaque morbo deduētō, ut novi humoris purulenti generatio imminuta videatur, & pus desinere cum levamine: medico indicatur ulcus esse consolidandum: quod optime absolvitur per ea, quæ leniter adstringunt & Balsamicā vi consolidant: talia sunt herbæ vulnerariæ diētæ: ut millesolum, sanicula alchymilla, solidago &c. vel Balsamica, gummosa, resinosa, & pinguia, qualia sunt Bals. peruvianus, de mecha, copayb. alb, tereb. nativ. myrrha, olibanum, gumm. tragac. arabici, mastiches, sperma coeti & similia: quæ aliis Blandis & oléosis mixta, tuto exhiberi possunt, sequens itaque pro specimine esto:* **ꝝ** *tereb. ven. Əij. olibani, mastich. ana ʒj. sarcocoll. sperm. coet. ana ʒß. Bals. peruv. q. f. m. pilulae gr. iv. quorum unum omni bihorio assumat, cum haustu decoct. consolidantis in materia medica a Clariss. & Celeb. H. Boerhavio conscripti; quod optimum & conveniens est medicamentum: quia demulcet, æstum febrilem refrenat, ac modice partes debiles roborat: interdum quoque sequens conditum exhiberi potest.* **ꝝ** *cons. rojar. rub. ʒj. tereb. venet. vitello ovi sol. ʒij. boli armen. olibani ana ʒj. sperm. cocti Əij. bals. e mech. gutt. xv. syr. myrtin. q. f. m. f. conditum. de quo æger omni ʒ horiō ad magnitud. nucis mosch: assumat. subinde quoque equum vel currum ad scendant & itinera faciant in aérē sereno & sicco: quod tanquam optimum Remedium in Phthysi al Clarissimo Sydenhamo pronuntiatur, pag. mihi 416 & 630. ubi dicit: quod neque mercurius in lue venerea, neque cortex peruvianus in intermittentibus efficaciores existent, quam in Phthysi curanda exercitium jam laudatum; modo æger curet, ut linteamina leđti probé fuerint arefacta, atque etiam ut satis longa itinera emetiatur.*

§. 40. Si vero interea irriti conatus tussiculosi ægrum molestant, vel alia quæcumque symptomata ægro molesta, quinta oritur indicatio; quæ exigit ut symptomata mitigentur: hinc si tussis quasi ferina ægrum molestat, usurpari possunt anodina, vel narcotica; quæ convenienti vehiculo assumi debent: talia sunt imprimis massa pil. de cynogloss. laudan. pectorale,

opium ipsum , vel laudan. cydoneat. v. liquidum sydenhami,  
syr. diacod. papav. alb. &c. pro formula sequens pro adulto  
convenit. **¶.** aq. still. paralys. ʒj. syr. dia cod. ʒvj. m. f. hau-  
stulus, ut hac ratione irritatio sopiaatur & hinc tussis immuni-  
atur : quæ aliquando tam insignis est, ut ægri vix dormire que-  
ant: quæ signa si medico appareant, statim illud conatur  
demulcentibus atque mitioribus narcoticis extricare.

§. 41. Altera vero Curæ ratio incumbit Medico : si  
ipsi constet , vomicam esse in pulmone ; quod scitur ex  
morbis prægressis & symptomatum apparitione : scilicet tussis  
pertinax & sicca ad pastum & motum aucta , respiratio  
difficilis parva & anhelosa , etiam post pastum & motum  
aucta ; decubitus in latere affecto commodior , dolor obtu-  
fus & gravativus , imo multa alia signa Phthysi commu-  
nia : quo in puncto maxime convenient ea quæ pulmona-  
les partes internas laxant , ut hac ratione vomicæ versus  
Laryngem disruptio obtineri possit : hunc in finem conve-  
niunt Balnea vaporosa ex emollientibus parata : veluti va-  
por per os attractus decocti sequentis : **¶.** rad. altheæ  
fænicul. ana ʒj. herb. alth. malv. verbasc. ana m. j.  
flor. samb. melilot. malv. ana m. sem. anisi fænic. ana ʒij.  
Coquantur in s. q. aq. comm. & detur pro balneo , cuius vapor  
per tubum infundibuli calide, quantum fieri potest, attahatur;  
interea utatur diæta lactea & apozemate pectorali: his aliquan-  
dju adhibitis , talia exhibenda sunt , quæ pulmones suffulciunt  
in ambitu ; ne versus cavum thoracis Cystis purulenta disrum-  
patur: quod obtineri potest largiori ventriculi impletione ex ci-  
bis mollieribus ; ut hac ratione diaphragma a ventriculo di-  
stento sursum prematur , hincque cavum thoracis minatur,  
unde pulmones suffulciuntur magis ; & ut hac de causa ob  
majorem , quam nanciscuntur resistentiam , vomicæ disruptio  
versus trachæam fieri posset : ventriculo itaque distento, insti-  
tuuntur motus , qui pectus & totum corpus concussant: ut est  
equitatio , vel vectio in Rheda super lapides rudiores instituta,  
tussis ficta vel artificialis , denique sternutationes , screationes,  
similesque nixus , qui disruptionem vomicæ accelerari possunt:

verum, quia hoc non obtinetur aliquando unico molimine, idcirco pro conditione ægri actio hæc serius ocius reiterari debet; donec scopus medici obtentus sit. Interea tamen medici officium est, ægrum & amicos de periculo commonere: nam aliquando subita ruptione versus vias trachæales facta, ( quæ cæterum salubris esset ) suffocantur: & hoc præcipue fit, si materia purulenta magna copia intus collecta fuit; si vero Evacuatio materiæ purulentæ sensim fiat & vires ægri satis constent, & sputa apparent alba, æqualia, cocta sine fœtore, tunc adhuc spes est curationis:

Hinc si constet pulmones a pure esse liberatos, tunc per abstergentia ac consolidantia §. 39. recensita, æger tractandus est, symptomataque pro sua diversitate remediis convenientibus occurrenda.

§. 42. Aliquando vero vomicæ disruptio fit versus Cavum thoracis, & hoc tabo purulento inficit: quod factum esse scitur per signa, optime a Celeb. Boerhavio in Capite de Empyemate explicata: quo præsente, æger in statum exponitur periculosum, arduum & ambiguum: tunc quicquid curæ est, consistit in hujus materiæ eductione: quæ Paracenthes in thoracis postulat; quæ Encheyresis propter successus aliquando ambigua quidem est, attamen diu differri non licet: quin partes contentas tabo hoc purulento inficit & corrodit: hinc in initio si vires satis constent instituenda est operatio, nam dictante Celso Cap. 10. Lib. 2. *Satius est enim anteps auxilium experiri, quam nullum*: imo Hippocrates sect. 1. aph. 6. dicit: *ad extre mos morbos, extrema convenientia remedia*: ergo præmissa prius medici de ægro deliberatione; h. e. anne tali operationi ferendæ parem illum existimet, & an non nimis inveteratum sit Empyema; tunc instituenda est ipsa operatio in latere affecto, observatis simul cautelis, scilicet ut aëris ingressus in thoracem impediatur, materiaque purulenta per vices lente educatur &c. tandemque remediis mundantibus, abstergentibus & consolidantibus, prout ars medica vel chyrurgica jubet, adjuvetur.

Si vero his non auscultet; sed a materia purulenta, saniosa

vel ichorosa , partes pulmonis jam corrosæ sint ; & materia  
educta appareat tenuis , fusca , ichorosa & fœtida ac fibrillis  
mixta ; tunc aliquando effluente materiâ moriuntur , vel certo  
certius in Phthysin ex Epyemate lethalem exponuntur : quæ  
æque ac Phthysis inveterata solam quasi palliationem exigunt :  
quæ tantum consistit in eo , ut medicus ulceris augmento , cor-  
ruptioni humorum , atque viribus ægri prospiciat : qua metho-  
do ægri cum præsente Phthysi adhuc diu superesse possunt :  
ut exemplo Avicennæ allegato constat.

En B. L. hæc sunt , quæ de hoc morbo dicenda habui : plu-  
ra adhuc addere potuisssem ; sed quoniam Leges Academicæ  
non postulent , ut totus conscribatur Libellus ; hinc tantum  
paucis , quantum potui , verbis , hæc omnia conscripsi : faxit  
Deus Ter Opt. Max. ut hæcce mea Studia & Conamina diri-  
gantur in Nominis sui Gloriam , Proximorumque salutem.

F I N I S.



C O -

# COROLLARIA.

I.

*Phtysici non admodum dolent.*

II.

*Ulcera, quæ sanguinis rejectionem ex pulmone  
consequuntur, vix curabilia sunt.*

III.

*Morbus morbo curatur.*

IV.

*Vita semetipsam destruit.*

V.

*Aqua calida refrigerat.*

VI.

*A Juvantibus & nocentibus potissima desumitur  
indicatio.*

# COROLLA ATRIALIS

I.

Contra multitudinem inimicorum

II.

Contra inimicos tuos, inimicos tuos, contra  
inimicos tuos, contra inimicos tuos.

III.

Contra inimicos tuos, contra inimicos tuos,

VI.

Contra inimicos tuos, contra inimicos tuos,

V.

Contra inimicos tuos, contra inimicos tuos,

IV.

Contra inimicos tuos, contra inimicos tuos,